



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 42. Et assumpto Petro & duobus filijs Zebedæi. v. 38.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

tu, quod verbo promiserant. Pulchre autem venit cum illis in villam Gersemani, quæ interpretatur vallis pinguiſſima, ut demonstraret per vallem humilitatem & per pinguedinem, charitatem, quibus instructus & armatus Dominus mortem pro nobis susceperat, ut nos doceret, simul ipso etiam loci nomine quid assidue intendere & desiderare tanti Magistri discipuli debeamus, nempe humilitatem nobis, & Deo caritatem.

Obfecro Domine duc & me tecum ad hanc villam Gersemani pinguiſſimam humilitatis & charitatis, ut ibi & in pinguedine harum virtutum tibi seruiam omnibus diebus vitæ meæ.

41. Et dixit discipulis: sedete hic, donec vadam illuc & orem. v. 38.

Ecce ipsam humilitatē & maxime caritatē quā statim Dominus in valle pinguiſſima expromit: lubet enim discipulos sedere, post diurnos labores, quod est charitatis, & ipse ad orationem se ire profiteretur, quod est humilitatis. Ipse autem, verē Salvator Mundi, interim passionem inchoat, orationem orditur, à quā nullam sibi requiem concessit, egregium factus exemplum gregis sui.

Domine dedisti in omni actione tua exemplum doctrinæ & pietatis: hic ut disceremus in quibus locis & occasionibus sit orandum, ut semon à tumultibus hominum in abscondito preces fundamus, quia maiori id cum pietate & affectu preſtare possumus, sensus enim solitudine magis colliguntur & illis collectis anima quietius irroratur.

O Domine, da gratiam, ut meas causas acturus in abscondito potius quætam orare quam inter strepitus & tumultus hominū, ut tecum unitus percipere merear quæ posco ad tui nominis gloriam & meam totiusq; populi Christiani salutem, quando vero in Ecclesia cum & coram alijs orare me oportet, tunc sensus meos claudam, ne per fenestras eorum mors intrare valeat.

§. 42. Et assumpto Petro & duobus filijs Zebedæi. v. 38.

Cur Dominus tantum hos tres discipulos & non plures aut alios secum assumpserit. Prima ratio esse potest, quia hi tres testes fuerant suæ glorificationis in monte Thabor, ut sic iidem essent quoque testes inicij suæ Passionis, in valle Gersemani. Secunda quia Petrus erat Vicarius Christi futurus in Ecclesia Dei, (a) Joannes Christi Secretarius & quidem intimus, (b) Iacobus primus ex Apostolis calicem bibiturus, (c) 3. quia hi tres maximum habebant zelum tuendæ gloriæ Christi,

Pe-

a ut disceret pati pro ea; b ut scriberet vere c ut exemplis caperet & confortaretur.

Petrus pro eo mori paratus fuit, ideoque gladium contra captivantes exeruit eum defensus, cæteri duo Boanerges, Domino excluso de Civitate Samariæ ignem de cælo in eam provocare volebant zelo honoris Domini. 4. hi maiore dignitate præditi & cæteris excellentiores erant Petrus fide & dilectione, Ioannes virginitate, Iacobus fervore & zelo animarum. 5. & hi tres sufficiebant pro testimonio iuxta id Deut. 19. *In ore duorum vel trium stabit omne verbum*; Denique ut Dominus graduum quandam in Ecclesia distinctionem doceret, ne omnes vellent esse caput, nempe; nemo cauda &c.

Ple Domine, da gratiam quoque mihi, ut cum S. Petro tibi sim fidelis, cum Ioanne castimonia præditus, cum Iacobo zelator animarum, ut licet corpore non sim tecum in horto Getsemani, sim tamen affectu & mente continuus meditator passionis tuæ & mortis, ut & ego cum sanctis his tribus merear quandoque etiam particeps esse tuæ glorificationis in monte sancto Dei.

§. 43. *Capit tristari & mæstus esse. v. 39.*

Teste S. Hieron. contristabatur Dominus non timore patiendi, qui ad hoc venerat, ut pateretur, & Petrū jam ante acriter, acriter, arguerat, quod passionem dissuadere conaretur: sed propter infelicissimum Iudam, & scandalum omnium Apostolorum, & reiectionem vel reprobationem populi Iudæorum, & perversionem multorum, dicam verbo, propter peccata nostra. O ineffabilis bonitas Iesu! O amor incomprehensibilis, omnia nostra peccata ferre voluit qui solus erat absque peccatis. Ecce ipsum gaudium cæli propter nos ad mortem usque mœrore afficitur, quodque nos voluptate deliquimus, ipse lethalibus voluit cruciatibus expiare. & quia ipse splendor paternæ gloriæ & Dei sapientia est, in quo voluntas patris, velut in purissimo speculo semper relucet, ideoque perspicue agnovit, quibus operibus & exercitiis pater placandus erat, quoque pretio nostrum solveret debitum, puta per æcerbissimos dolores, preces humiles asperam pœnitentiã, & tolerantiam passionum, afflictionumque: Hinc est quod capit tristari, & flere & pavere, quare simul cunctis præbuit institutionem & doctrinam ut hisce studeant patrem placare operibus, ubi in peccata inciderint. atque ea de causa primus ipse id facere voluit, quod in membris suis desideravit. ideoque tantum sibi assumpsit dolorem & mæstitiam, quantis opus erat ad totius mundi peccato satisfaciendum. Unde facile intelligitur quomodo ad ipsas mortis angustias mærendo, Dominus pervenerit. ô amor! ô pietas!